

IUNIUS

Die 11 Iunii

S. Barnabæ, apostoli

(Memoria sed *in Cypro*: Sollemnitas)

Ant. ad introitum

cf Act 11, 24

Beátus iste sanctus, qui annumerári méruit inter Apóstolos:
erat enim vir bonus, et plenus Spíritu Sancto et fide.

Collecta

Deus, qui beátum Bárnabam, plenum fide et Spíritu Sancto,
ad géntium conversiónem segregáre præcepísti,
concéde, ut Evangélium Christi, quod strénue prædicávit
ore et ópere fidéliter nuntiétur.
Per Dóminum.

Extra Cyprum, ante Evangelium legitur una tantum lectio

LECTIO PRIMA (propr.)

« *Erat vir bonus et plenus Spíritu Sancto et fide* »

Lectio Actuum Apostolorum

11, 21b-26; 13, 1-4

In diébus illis :

Multus númerus credéntium convérsus est ad Dóminum.
Auditus est autem sermo in áuribus Ecclésiæ quæ erat in
Ierúsalem super istis, et misérunt Bárnabam usque Antiochíam;
qui cum pervenisset et vidisset grátiam Dei gávísus est quia

erat vir bonus et plenus Spíritu Sancto et fide. Et appósita
est turba multa Dómino.

Proféctus est autem Tarsum ut quaéretet Sáulum, quem
cum invenisset perdúxit Antiochíam. Factum est autem eis ut
annum totum conversaréntur in Ecclésia et docérent turbam
multam, et cognominaréntur primum Antiochíæ discípuli
Christiáni.

Erant autem in Ecclésia quæ erat Antiochíæ prophétæ
et doctóres: Bárnabas et Symeon qui vocabátur Niger, et
Lúcius Cyrenénsis, et Mánaen qui erat Heródis tetrárchæ
collactáneus, et Saulus.

Ministrántibus autem illis Dómino et ieiunántibus, dixit
Spíritus Sanctus: « Separáte mihi Bárnabam et Sáulum in
opus ad quod vocávi eos ». Tunc ieiunántes et orántes im-
ponentésque eis manus dimiserunt illos. Et ipsi quidem missi
ab Spíritu Sancto devenérunt Seleucíam, et inde navigavérunt
Cyprum.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 97, 1. 2-3ab. 3c-4 (R. 2b)

Ry. In conspéctu géntium revelávit Dóminus iustítiam suam.

- 1 Cantáte Dómino cánticum novum,
quia mirabília fecit.
Salvavit sibi dextera eius,
et bráchium sanctum eius. **Ry.**
- 2 Notum fecit Dóminus salutáre suum,
in conspéctu géntium revelávit iustítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ
et veritátis suæ dómui Israel. R̄.

- 3 Vidérunt omnes términi terræ
salutáre Dei nostri.
Iubiláte Deo, omnis terra,
erúmpite, exsultáte et psállite. R̄.

LECTIO SECUNDA (propr.)

« *Dexteras dederunt mihi et Barnabæ communionis* »

Lectio Epístolæ beáti Páuli Apóstoli ad Gálatas 2, 1-2. 8-10

Fratres :

Post annos quattuórdecim íterum ascénderi Hierosólymam
cum Bárnaba, assúmpto et Tito; ascénderi autem secúndum
revelatióem; et cóntuli cum illis Evangélium quod prædico
in géntibus.

Qui operátus est Petro in apostolátum circumcisiónis
operátus est et mihi inter gentes, et cum cognovissent grátiam
quæ data est mihi, Iacóbus et Cephas et Ioánnes, qui vide-
bántur colúmnae esse, dexteras déderunt mihi et Bárnabæ
communiónis, ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisióem;
tantum ut páuperum mémores essémus, quod étiam sollicitus
fui hoc ipsum fácere.

Verbum Dómini.

ALLELUIA

Mt 28, 19a. 20b

R̄. Allelúia. V̄. Eúntes docéte omnes gentes, dicit Dómi-
nus, et ecce ego vobíscum sum ómnibus
diébus usque ad consummatióem saéculi.
R̄. Allelúia.

EVANGELIUM

« *Eúntes, prædicate quia appropinquavit Regnum Dei* »

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Matthaéum 10, 7-11

In illo témpore :

Dixit Iesus Apóstolis suis : « Eúntes prædicáte dicétes:
« *Appropinquávit Regnum cælórum* ». Infirimos curáte, mórtuos
suscitáte, leprósos múndáte, daemones eícite: gratis accepístis,
gratis date.

Nolíte possidére aurum neque argéntum neque pecúniam
in zonis vestris, non peram in via neque duas túnicas neque
calceaménta neque virgam; dignus enim est operárius cibo
suo. In quamcúmque civitátem aut castéllum intravéritis, in-
terrogáte quis in ea dignus sit; et ibi manéte donec exeátis ».

Verbum Dómini.

Super oblata

Obláta múnera, quaésumus, Dómine,
tua benedictióe sanctífica, quæ, te donánte,
nos flamma tuæ dilectiúnis accéndant,
per quam beátus Bárnabas lumen Evangélii géntibus apportávit.
Per Christum.

Praefatio de Apostolis

Ant ad communionem

Io 15, 15

Iam non dicam vos servos, quia servus nescit quid facit dó-
minus eius: vos autem dixi amícos, quia ómnia quaecúmque
audívi a Patre meo nota feci vobis.

Post communionem

Aeternae pignus vitae capiéntes,
te, Dómine, humíliter implorámus,
ut, quod pro beáti Bárnabæ apóstoli memória
in imágine gérimus sacraménti
manífesta perceptióne sumámus.
Per Christum.

